

[Reginaldi] Poli cardinalis
de iustificatione annotatio.
[Ineunte mense octobri 1546]

Nunquam vere dici potest, hominem coram Deo iustificari ex operibus tam extra gratiam factis, que non nisi peccata sunt, quam in gratia, que, etsi, quatenus quidem ab illa proveniunt, et bona dicuntur et sunt, quia tamen in nobis et a nobis fiunt, qui ex nobis ipsis semper mali sumus, nunquam sic bona esse possunt, ut per ea coram Deo iustificemur. «Si enim», ait Propheta, «iniquitates» etc. «Et non intres in iudicium» [cum servo tuo, quia non iustificabitur omnis vivens]. Cum dicit «omnis», neminem procul dubio exceptit nec de iis tantum loquitur, qui primo ad Deum per fidem convertuntur. Neque vero Propheta ipse ad hec sui ipsius occasione orans pronunciaret ad Deum tunc primo, ad quem per fidem, cum antea non cognovisset, convertebatur, sed ad illum potius per poenitentiam et fidem revertebatur, a quo per aliquam prevaricationem nulli fortasse preterquam sibi vel nec sibi ipsi etiam preterquam soli Deo cognitam se recessisse ex aliquo sibi a Deo immisso flagello suspicabatur. «Ab occultis meis munda me, Domine», etc. Abraham vero, qui «pater» et typus fuit «omnium credentium», cum ab ipso Deo testimonium accepit iustitie fidei, non tunc primum ad illum convertebatur, quem multo ante et credendo cognoverat et obediendo secutus fuerat, et tamen de eo dicit Apostolus: «Quid ergo dicemus invenisse» etc.? Quod non solum de prima ad Deum conversione intelligendum est, quasi vero post illam vel nulla habeamus peccata vel per aliam viam quam per Dei misericordiam in Christo, quem fide apprehendimus, remittantur et tegantur, cum de fidelibus scriptum sit: «Si dixerimus, quia peccatum» etc. Sed per quam iustitiam id facit? Nempe per eam, quam in evangelio per remissionem peccatorum promisit et exhibet credentibus, non autem, per eam, quam in lege per impletionem mandatorum promisit et retribuit operantibus, per eam, inquam, in qua una se exaudiri et liberari orat Propheta, cum dicit: «In veritate tua, exaudi me in tua iustitia.» Et in alio loco: «In iustitia tua libera me et eripe me.» «Si enim iniquitates» etc. Nam «si dixerimus», ait Ioannes apostolus, «quia non peccavimus, mendacem facimus eum et verbum eius non est in nobis.» Quod quidem, dum in nobis manet, nunquam non de peccato nos arguit, ut ad misericordiam Dei, quod est ad Christum, confugere illumque per fidem amplecti hortetur et impellat, qui cum «peccatum non cognovisset, factus est pro nobis peccatum, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso» et per ipsum.

Ex ipso enim ad omnes fideles ait idem Apostolus: «Estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio, ut, quemadmodum scriptum est» etc.

Atque hec quidem, quamvis ita esse et testimonio scripturarum et experientia constet, non tamen proprie dicta sunt, ut ad peccandum incautiores et promptiores reddamur. Qui enim peccato mortui sumus, quo pacto vivemus in illo? «Debitores enim sumus non carni» etc. «Quicumque enim

spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.» <Et in eo non peccant quidem>, qui Dei spiritu aguntur; eo, quod sunt filii Dei, non peccant. «Qui enim natus est ex Deo, non peccat»; idem dixit, qui paulo ante dixerat: «Si dixerimus» etc.: «Caro enim concupiscit adversus spiritum», ut non, quecunque secundum illius instinctum volumus, eadem faciamus. Nam «velle adiacet mihi; perficere autem illud non invenio. Non enim, quod volo, bonum, hoc facio; sed, quod nolo, malum, illud ago», ait ille, in quem Deus Spiritum suum non parce, sed large et abunde effuderat, per quem scilicet condelectabatur «legi Dei secundum interiorem hominem», et nihilominus idem ipse «aliam legem» inveniebat «in membris suis repugnantem legi mentis» sue et sic captivum trahentem eum in legem peccati, ut exclamare cogeretur: «Miser ego homo!» Sed, quia verbum Dei manebat in illo, a quo non solum de proprio peccato ac de propria miseria arguebatur et deiciebatur, sed de Dei per Christum misericordia admonitus defendebatur et erigebatur, ne in desperationis «barathrum preceps» rueret, propterea fide et spe evectorum statim addit: «Gratias ago Deo» etc.; ac rursus, quod prius dixerat, summatim repetens et concludens: «Igitur ego ipse» etc.; «Sed nihil nunc damnationis est» etc. Qui etsi peccatum in carne eorum, in qua non habitat bonum, et habent et sentiunt, non tamen ei servientes consentiunt nec secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum, dum in eo, quod peccant, non sibi complacent, sed maxime displicent ac dolent et clamant ad Deum Patrem quotidie et semper orantes: «Dimitte nobis debita nostra» per Iesum Christum Filium tuum ac Dominum nostrum, cuius verbum et Spiritus interius et exterius nos continue admonet, ut non peccemus. «Filioli enim mei», illius nomine ad vos et ad omnes fideles ait Ioannes apostolus, «hec scribo vobis, ut non peccetis; quodsi quis peccaverit», non desperet nec per aliam viam se veniam a Deo impetraturum confidat, ea una excepta, quam apostolus Paulus nobis ostendit, cum ait: «Confidentiam habentes in introitu sanctorum in sanguine Iesu, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est per carnem suam, et sacerdotem magnum in domo Dei; accedamus cum vero corde in certitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluto corpore aqua munda. Detineamus confessionem spei nostrae indeclinabilem; fidelis est enim, qui promisit.» Sic et Ioannes apostolus, postquam dixit: «Quod si quis peccaverit», statim adiunxit: «Advocatum habemus» etc. Et ne quis carnalis per hec sibi ullo pacto peccandi licentiam post acceptam gratiam concedi putaret, continuo addit ac declarat, quinam sunt ii, qui Christum iustum advocatum habent apud Patrem, «pro» quorum «peccatis» fit «propitiatio»; non ii quidem, qui, cum mandata eius non servant, in hoc se minime eum cognoscere ostendunt; quamvis enim ore fateantur «se nosse Deum et Christum, factis tamen illum negant». «Nos autem», ait, «in hoc scimus, quoniam cognovimus illum, si mandata illius» etc. «In hoc enim vocati estis», ait apostolus Petrus, cum nos ad patientiam et ad malorum tolerantiam Christi exemplo hortaretur: «Quia et Christus», inquit, «passus est pro nobis» etc. Sed nunquid hoc de nullo alio preter ipsum unum dici poterit? Minime id quidem: «Omnes enim

peccatores sumus et gloria Dei semper indigemus», ut scilicet per fidem coram eo iustificemur, «in cuius conspectu non iustificabitur omnis vivens». Nam: «Si iniquitates» etc. Sustinemus autem, quicumque vere et ex corde in illum credimus, non in nostra iustitia confisi, sed in verbo eius, in quo promisit penitentibus et in eum credentibus, se gratis nobis per misericordiam suam in Christi nomine peccata remissurum. Quare hac fide innixa in illo semper anima nostra speravit, sperat et sperabit usque in finem: «Speravit enim», ait, «anima mea in Domino. A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.» Quare autem? «Quia», inquit, «apud Deum est misericordia et copiosa apud eum redemptio», «qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitie vivamus, cuius livore sanati sumus»; ab ea nempe infirmitate pro impiis mortuus est, non ab ea, quam iustus ac pius ille rex adhuc in sua carne sentiebat. Ac propterea clamabat: «Sana me, Domine, quoniam infirmus sum.» «Vanitati siquidem subiecta est creatura, non volens» etc. «Non solum autem illa, sed et nos», inquit Apostolus, «primitias spiritus habentes» etc. «Similiter et Spiritus adiuvat infirmitates nostras» etc., cuius ope, et si septies in die cadimus, nunquam tamen non adiicimus, ut resurgamus. «Iustus enim, si ceciderit, non collidetur» etc. Quo autem pacto id fiat, lapsus et infirmitatis causa prius explicata in sua ipsius persona narrat Propheta: «Quoniam», inquit, «tacui, inverteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.» Causa vero clamoris hec erat: «Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus est humor meus in siccitates estatis.» Sed quid tandem, qua ratione a lapsu resurrexisti et ab infirmitate convaluisti? «Delictum meum», inquit, «cognitum tibi feci» etc. Ecce itaque, quia et sancti ipsi peccant et, dum a Domino propter peccata iudicantur, ab eodem corripuntur, ne «cum hoc mundo» damnentur. Hi enim, dum de sua infirmitate ac de suis peccatis admoniti ad Dei misericordiam confugiunt, ab eo veniam impetrant propter eum, «qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis», quoniam «non est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri», nec alia est hostia et propitiatio pro peccatis sive ante baptismum et gratiam, sive post baptismum et gratiam perpetratis preter eam «unam», quam ipse semel «pro peccatis offerens in perpetuum sedet ad dexteram Dei, in reliquo expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius, una enim oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos». «Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratie» illius, quicumque in illo et per illum iustos nos et sanctos per veram fidem agnoscimus, quamvis iidem in nobis ipsis iniusti et peccatores simus, de iustitia, quam ex illius ineffabili dono tam in illo quam in nobis ipsis habemus, ei gratias agentes; de peccatis vero, que nostra tantum culpa nunquam in nobis absunt, veniam sine intermissione ab eodem postulantes atque istud semper in corde pariter et in ore habentes: «Non intres in iudicium» etc. «Si iniquitates» etc. «In veritate tua exaudi me» etc.

Note:

This text follows that printed in volume 12 of *Concilium Tridentinum: Diariorum, Actorum, Epistolarum, Tractatum. Nova Collectio*.